

per se tamen & formaliter spectatum in vita constitit & directe contra bonos mores commissum fuit. Recte Tertullianus l. de Præscript. Si reprehensus est, inquit, Petrus, quod cum convixisset Ethnicis, postea se a Convictu eorum separabat personarum respectu, utique conversationis fuit vitium, non prædicationis.

II.

Quæritur; An reprehensio Pauli, quæ Petrum hic reprehendit, fuerit vera & seria, an vero simulata tantum & dispensatoria.

S. I.

Vere Petrum fuisse reprehensibilem, vidimus, jam porro quæritur, verene fuerit a Paulo reprehensus, an vero in speciem tantum, simulate & ex composito. Græci quidem, quos sequitur Hieronymus, qui Petrum a peccato absolvunt, h. e. nihil hic, quod reprehensione dignum commisisse existimant contendunt reprehensionem illam non veram fuisse, sed simulatam tantum, totamque rem ex mutuo composito inter Paulum & Petrum actam esse. Sic enim Origenes, locis supra citatis, referente Sixto Senense Lib. VI. Bibl. S. annot. CCLXXIV. statuit; *Petrum & Paulum non vero sed simulato dissidio invicem ad utilitatem discipulorum summa animi concordia contendisse, ut dum Petrus de simulatione legalium a Paulo simulata reprehensione objurgatus non contradicit, sed quasi delictum suum agnoscens, obticescit, hi qui legalia observabant, respiscerent & a legalium observatione desisterent.* Eodem modo Chrysostomus omnem hanc contentionem non dissidii sed dispensationis fuisse, *ἡ μάχη, ἀλλ' οἰκονομία*, scribit Tom. IV. col. 827. & 828. *& multam hic comperimus, inquit, tum Petri, tum Pauli prudentiam in hoc adhibitam, ut clam teque prodesse audientibus.* Et ex Chrysostomo Theoph. *Etus ideo Petrum sese a gentibus subduxisse, ait, ne Hierosolymitanos offenderet, ac simul ut daret Paulo convenientem occasionem increpandi. Propterea obiurgat, inquit porro, & Petrus sustinet, sic enim facilius discipuli transferri ab eo instituto, (quasi cum gentibus edere non liceret Judæis) potuerunt, accusato præceptore & silente.* Planeque simi-
lites

lites